Epistola ~~IX~~ X. DANIELI HEINSIO IOHANNES COCCEJUS. 31 ...US.

Ir magnifice & nobilissime.

Nimis profecto rusticè à me factum est, qui tanto tempore
scribendi vicem protulerim. Cujus tamen rei si causas alle-
gem, negaram occasionem satis commodam & prospiceras fere
occupationculas, equidem non mentiar: sed nec mihi satisfecisse
officio videbor, si dignitas mea in apertum prodiderit. Vera
causa est, Vir summe, ipsa, non tantum novissimis mihi lite-
ris cognita, sed etiam ri ipsa ac aliorum testatione declarata
humanitas erga me tua: quæ tanta semper visa est, ut
capere eam & complecti animo vix quirem. Quo ex re
effectum est, ut quum eodem tempore plures ad me à vo-
bis litera proferrentur, ad cæteras quod responderem in
promtu esset; Tras quoties earum aspicerem, ita stuperem,
ut qua ratione responsionem ad illas instituerem, non
haberem. Nimirum nos, qui animo angusto & parco
sumus, haud magis summam clarissimorum & maximo-
rum virorum benevolentiam, quàm oculi nostri Solis radios,
ferre possumus. Nunc ipsa occasio, quamvis me non
admodum ocioso, manum dignitas mea injicit & officium
cunctanti extorquet. Ibat ad vos Gallica Ecclesiæ
hujus urbis minister pius & doctus ac mihi amicus cum
primis d. Hotton. Ei postulanti literas non dare &
tam bella commoditate non uti, præsertim cùm summos
viros, clarissima vestræ Academiæ lumina, insalutatos
non videret hinc omissurus, nullam excusationem admitte-
bat. Nam præteriti temporis culpam officii redin-
tegratio facile abolet; sed pertinax silentium oblivio-
nis & negligentiæ crimen trahit. Ego verò, Vir Excellentis-
sime, seriò testor, ita semper animo meo, præter eruditionem
exquisitissimam, obversari imaginem virtutis & meritorum ejus
de literis, ut propter Eam quidem omnia mea studia, amorem
& observantiam Tibi à me deberi intelligam; illam autem
suspiciam maximè, atq; ni omni studio industriaq; mea nihil
magis exoptem, quàm testimonium atq; approbationem mediocri-

tatis ab illo culmine mercri. Quod si mihi contigerit, omnia hominum judicia de studiis atq; laboribus nostris, omnemq; adeo contemtum non gratis pro nihilo videbor laburisse. Quanquam enim in ipso officio & tractatione optimarum & sanctissimarum literarum ea insit jucunditas, quæ honesto animo ad fructum debeat sufficere; nescio tamen quomodo immatura nobis est, ut tenui judicium nostrum ægrè feramus, & nulla re tantopere, quam eorum, quorum est testata sapientia & comperta virtus, assensu gaudeamus. Quocirca etiam omni in studio, cogitatione atq; opera nunquam ab exemplo maximorum virorum & à monumentis illorum ingenii atq; judicii mentem revocamus. Cujus etiam causa est, ut cum Magn.a T.a jampridem nobis spem fecerit meditationum suarum in obscuriora Novi Testamenti, non tantùm ipsemet, sed & alii, quibus ego sp.a prædicatione mea salutarem commovi, unicè & ardentissimè eas in publico compariturè desiderent: cujus voti si T. Magnif.a nos compotes fecerit, beaverit. Ego Deum optimum, maximum oro, ut M.a T.a vitam, vires & valetudinem suppeditet ad hæc & alia exactissima opera communi bono publicandum. Vale, Vir summe & me Tui observantissimum favoris tui aura prosequi imperti. Reverendum virum d. Ludovicum &c Dicu officiosè verbis meis salutari cupio. ad quem, cùm ante annum & quod excedit, dederim literas, & responsum nondum tulerim, cogor dubitare, an quovis tempore satis recte nostra ad vos perferantur. Irene Q.

Julij Ao. 1631.

T. M.a

observantiss.

J. Coccejus.

32

Magnifico, nobilissimo et ex-
cellentissimo viro, dno.
Danieli Heinsio Equiti
D. Marci, Serenissimi Sue-
ciæ Regis Consiliario et Si-
storiographo, in illustri Ba-
tavorum Academia profes-
sori celeberrimo, domi-
no meo et fautori colendo.

Lugduni